


Postea accedit ad pedes Consecratoris, ubi tertio genuflexus, ut supra, iterum altius cantando dicit :



Ad mul-tos an-nos.



Tum Consecrator recipit eum surgentem ad osculum pacis ; et similiter faciunt assistentes Episcopi, qui Consecratum cum mitra, et baculo Pastoralis incedentem, et Evangelium sancti Joannis, In principio erat Verbum, etc. dicentem, post reverentiam cruci super altare factam, inter se medium ducentes, ad suam cappellam revertuntur, ad se exuendum sacris vestibus, et interim dicit Antiphonam. Trium puerorum, et Canticum. Benedicite. Consecrator vero, pacis osculo, ut præmittitur, Consecrato dato, dicit submissa voce : Dóminus vobiscum.

Iníitium sancti Evangélíi secúndum Joánnem. In principio erat Verbum, etc.

Signat altare, et se ; et facta similiter cruci reverentia, apud sedem vel faldistorium deponit sacras vestes, interim etiam dicens Antiphonam. Trium puerorum, et Canticum. Benedicite, etc. quibus depositis, Consecratus Consecratori, et Assistentibus suis pro more gratias agit ; et vadunt in pace omnes.

Quando Electus in Patriarcham, vel Archiepiscopum consecratur, forma præmissa in omnibus observatur ; sed per hujusmodi consecrationem non assumit sibi nomen Patriarchæ, vel Archiepiscopi, quod per traditionem Pallii dumtaxat sibi attribuitur, usque ad quam dicitur Electus, etiam post consecrationem prædictam, prout infra dicitur. Electus vero in Episcopum, cum primum consecratus est Episcopus, vocatur non Electus.

In anniversario consecrationis Episcopi dicitur Missa ut in Missali Romano.

DE PALLIO.

CUM Pallium a Sede Apostolica mittitur, Pontifex, cui res ipsa committitur, statuta die cum Electo convenit in Ecclesia sua, si commode fieri potest, vel alia Ecclesia suæ diocesis, vel provinciæ magis commoda, in qua Missarum solemnitas peragantur. Et, facta communione per celebrantem, Pallium reponitur supra medium altaris extensum, et serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Deinde peractis Missarum solemnibus, Pontifex indutus amictu, stola, pluviâ, et mitra, sedens ante altare super faldistorio, capit juramentum fidelitatis, nomine Sedis Apostolicæ, ab ipso Electo, omnibus Pontificalibus parametis, ac

si celebraturus esset, mitra tamen et chirothecis demptis, induto, ante se genuflexo, juxta formam per litteras Apostolicas traditam.

FORMA JURAMENTI.

Ego N. Eléctus Ecclesiæ N. ab hac hora in ántea fidelis, etc. prout habetur in Consecratione Electi in Episcopum. 84.

Expleto juramento ab Electo, dictus Pontifex in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, et Electo adhuc coram eo genuflexo, dicente :

Sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangélia.

Tum Pontifex respondet : Deo grátias.

Juramento præstito, Pontifex surgit cum mitra, et Pallium de altari accipit, et illud super humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit, dicens :



Ad honórem omnipoténtis Dei, et beátæ Mariæ semper virginis, ac beatórum Apostolórum Petri, et Pauli, Dómini nostri N. Papæ N et sanctæ Románæ Ecclesiæ, nec non Ecclesiæ N. tibi commissæ, trádimus tibi Pállium de corpore beáti Petri sumptum, in quo est plenitúdo Pontificális officii, cum Patriarchális (vel Archiepiscopális) nóminis appellatióne; ut utáris eo intra Ecclesiám tuam certis diébus, qui exprímuntur in privilégüs ab Apostólicá Sede concéssis. In nómine Pa \times tris, et Fi \times lii, et Spíritus \times sancti. $\text{R}.$ Amen.

Quo dato, Pontifex, detecto capite, vadit ad cornu Evangelii altaris, et Patriarcha, vel Archiepiscopus surgit cum Pallio; et ascendens ad altare, crucem suam ante se habens, si sit in Ecclesia sua, vel alia suæ diocesis, vel provinciæ, detecto capite benedicit populo solemniter, dicens : Sit nomen Dómini, etc.

Qua benedictione data, dimissis in Ecclesia paramentis, omnes ad sua revertuntur.

Et, quia Pontificalis officii plenitudo confertur per Pallium, antequam obtinuerit quis Pallium, licet sit consecratus, non sortitur nomen Patriarchæ, Primatis, aut Archiepiscopi; et non licet ei Episcopos consecrare; nec convocare Concilium; nec Chrisma conficere; neque Ecclesias dedicare, nec Clericos ordinare, etiam si Pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum Pallium.

Potest tamen, quando vult, Missam sine Pallio, et sandaliis celebrare.

Potest etiam hujusmodi consecrationes ante Pallii receptionem alteri committere, dummodo non sit in mora petendi Pallium.

Neque ante habitum Pallium potest Electus ante se crucem deferre, sed tantum postea.

Nec potest Patriarcha, vel Archiepiscopus uti Pallio extra suum Patriarchatum, vel provinciam, et non omni tempore, sed tantum in Ecclesiis, in Missarum

solemnis, in Festis præcipuis, non in processionibus, neque in Missis pro defunctis; et quia Pallium est personale, ideo commodari non potest; neque in morte alicui relinqui; sed Patriarcha, vel Archiepiscopus, cum eo sepeliri debet.

DIES, QUIBUS PALLIO

UTI POTEST PATRIARCHA, SIVE ARCHIEPISCOPUS, SUNT HI.:

Nativitas Domini nostri Jesu Christi.
 Sancti Stephani Protomartyris.
 Sancti Joannis Apostoli, et Evangelistæ.
 Circumcisio Domini.
 Epiphania Domini.
 Dominica in Palmis.
 Feria quinta in Cœna Domini.
 Sabbatum sanctum.
 Dominica Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus.
 Dominica in Albis.
 Ascensio Domini.
 Dominica Pentecostes.
 Festum Corporis Christi.
 Festivitates quatuor beatæ Mariæ semper Virginis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis.
 Nativitas sancti Joannis Baptistæ.
 Festum omnium Sanctorum.
 Festivitates omnium Apostolorum.
 Dedications Ecclesiarum.
 Principales Festivitates Ecclesiæ suæ.
 Ordinationes Clericorum.
 Consecrationes Episcoporum, et Virginum.
 Dies anniversarius Dedications Ecclesiæ, et Consecrationis suæ.

DE BENEDICTIONE ABBATIS.

IMPRIMIS Benedicendus provideat de mandato Apostolico, benedictionem sibi impendendam Pontifici committente.

Deinde statuta die benedictionis, quæ debet esse Dominica, vel festiva, tam ipse Pontifex, quam Electus, convenit quod die præcedenti jejunent.

In Ecclesia, ubi benedictio fiet, ornantur duæ cappellæ, major pro Pontifice, minor pro Electo. In majori quidem super altari parato, ut est moris, erit crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata.

Paratur etiam in loco congruo credentia pro Pontifice, super quam erit mappa munda, duo candelabra, vasa ad abluendum manus cum suis mantilibus; vas cum aqua benedicta, et aspersorio; thuribulum cum navicella; cochleari, et incenso; ampullæ pro vino, et aqua pro sacrificio; Calix, hostiaria cum hostiis.

Item paramenta omnia Pontificalia coloris temporis et officio Missæ convenientis, videlicet: sandalia, amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, tunnicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auriphrygiata, annulus Pontificalis, baculus Pastoralis, et manipulus.

Item paratur faldistorium ornatum pro Pontifice, et tria scabella, pro Electo, et duobus Abbatibus assistentibus, Missale, et Pontificale. Pontifex habeat tres Capellanos ad minus, cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam. In capella vero minore pro Electo, quæ a majori debet esse distincta, paratur altare cum cruce, et duobus candelabris, et super illud Missale, et Pontificale, ac paramenta omnia

Pontificalia albi coloris, ut supra pro Pontifice numerata sunt. Et hoc, si Abbas benedicendus sit de mitra. Si vero non sit de mitra, parantur tantum paramenta Sacerdotalia, et ultra illa, pluviale album; prope altare sit credentia minor cum mappa munda, et vasis ad abluendum manus. Ponuntur etiam quinque mappulæ æqualis mensuræ, factæ ex una canna cum dimidia panni linei subtilis, et candelæ octo, unius libræ quælibet, quarum quatuor super altare Pontificis, duæ super ejus credentiam, et duæ super altare Electi ponuntur. Annulus cum gemma benedicendus, et Electo tradendus; vestes monasticæ, seu regulares, et pro Offertorio intortitia duo, quatuor librarum quodlibet, duo panes magni, et duo barilia vini; panes, et barilia ornentur, duo videlicet videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Pontificis, et Monasterii, seu Electi habentia, cum capello, vel cruce, vel mitra pro cujusque gradu, et dignitate.

Adsint duo Abbates assistentes, qui sint induti superpelliceo, stola, pluviali, et mitra simplici alba.

Hora igitur competenti Pontifex, Electus, Assistentes, et alii, qui benedictioni interesse debent, ad Ecclesiam conveniunt, et Pontifex, facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in Ecclesia sua, vel accedit ad faldistorium in capella sua, juxta cornu altaris Epistolæ præparatum, et ibi de more paratur. Interim etiam Abbates assistentes sua paramenta prædicta capiunt. Quibus sic paratis, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium, ante medium altaris sibi paratum; Electus vero in habitu suo quotidiano medius inter Abbates assistentes paratos et mitratos, Pontifici cum debitis reverentiis præsentatur, atque eidem mandatum Apostolicum traditur. Quo publice lecto, per Pontificis notarium, Electus genuflectit ante Pontificem, qui surgit, deposita mitra, et super eum dicit Orationes sequentes, nisi jam sit professus.

Y. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
R. Qui fecit cœlum et terram.
Y. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS indulgentiæ Pater, qui severitatem tuæ districtiōnis temperans, indulxisti ne filius portet iniquitatem patris; et qui mira dispensatione, etiam malis bene utens, tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris, quæsumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obsistat, quod habitum religionis, per nos, tanta ac tali re indignos, accipit; sed ministerium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per donum Spiritus sancti exequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

OREMUS.

DEUS, qui per coeternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per mysterium sanctæ Incarnationis ejus renovare dignatus es, te suppliciter exoramus, ut ejusdem Domini nostri gratia, super hunc famulum tuum abrenuntiationem sæculi profitentem clementer respicere digneris; per quam in spiritu suæ mentis renovatus, veterem hominem cum actibus suis exuat; et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

OREMUS.

DOMINE Jesu Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus clementiam tuam, ut hunc

fámulum tuum a carnálibus desidériis abstráctum, per iter disciplinæ reguláris dedúcas, et qui peccatóres vocáre dignátus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laborátis, et onerátí estis, et ego vos reficiam; præsta ut hæc vox invitatiónis tuæ ita in eo convaléscat, quátenuus peccatórum ónera depónens, et quam dulcis es gustans, tua refectione sustentári mereátur. Et sicut attestári de óvibus tuis dignátus es, agnósce eum inter oves tuas; ut ipse te agnóscat, et aliénium non sequátur, sed te; neque áudiat vocem aliórum, sed tuam, qua dicis: Qui mihi ministrat, me sequátur. Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

OREMUS.

SANCTE Spíritus, qui te Deum, ac Dóminum mortálibus reveláre dignátus es, imménsam tuæ pietátis grátiam postulámus; ut, sicut ubi vis, spiras, sic et huic fámulo tuo afféctum devotiónis indúlgeas. Et quóniam tua sapiéntia est cónditus, tua quoque providéntia gubernétur. Quem júxta tibi consuétam grátiam únctio tua de ómnibus dóceat; et per intercessiónem sancti **N.** quem præcípuum hujus sanctæ institutiónis legislatórem dedisti, nec non et aliórum Sanctórum, ad quorum nómina professiõem facit, eum a vanitate sæculi veráriter converté. Et sicut es ómnium peccatórum remissio, ita depriméntes impietátis colligatiónes in eo dissólve; et ad observántiam hujus sancti propósi fac eum ita certátim fervére, ut in tribulatióibus et angústii, tua indeficiénti consolatióne váleat respiráre; ut juste, et pie, per veram humilitátem, atque obediéntiam in fraterná charitate fundátus, quod, te donánte, hódie promittit, felici perseverántia cómpleat. Quod ipse præstáre dignéris, qui cum Deo Patre, sanctoque unigénito Filio ejus Dómino nostro Jesu Christo, vivis et gloriáris, Deus, per infinita sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Deinde benedicuntur vestes, quæ novæ afferuntur, et tenentur per unum ex ministris Electi coram Pontifice, qui stans sine mitra, dicit:



V. Dóminus vobíscum.
R. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DOMINE Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis induere dignátus es, obsecrámus imménsam tuæ largitátis abundántiam, ut hoc genus vestiménti, quod sancti Patres ad innocéntiæ, vel humilitátis indicium abrenuntiántes sæculo ferre sanxérunt, tu ita bene **X**-dicere dignéris, ut hic fámulus tuus, qui hoc indútus fúerit vestiménto, te quoque induere mereátur. Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Et aspergit vestes cum aqua benedicta. Post hæc Pontifex sedet cum mitra, et exiit Electum veste sæculari, dicens :



EXUAT te Dóminus véterem hóminem, cum áctibus suis.

Et mox induit illum habitum monasticum, dicens :

INDUAT te Dóminus novum hóminem, qui secúndum Deum créatus est, in justítia, et sanctitáte veritátis.

Tunc, deposita mitra, surgit Pontifex, et dicit :

OREMUS.

DEUS miséricors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoátur, nihilque boni perficitur; adsint nostris humillimis précibus tuæ pietátis aures; et hunc fámulum tuum, cui in tuo sancto nómine

hábitum sacræ religiõnis impónimus, a mundi impediménto, vel sæculári desidério defénde; et concéde ei, ut in hoc sancto propósito devótus persistere, et remissióne peccatórum percépta, ad electórum tuórum váleat pervenire consórtium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Quibus dictis, sedet Pontifex, et imponitur sibi mitra; et Electus, professionem emissurus, junctis ante pectus manibus, coram eo genuflexus, dicit :

SUSCIPE me, Dómine, secúndum elóquium tuum, et vivam; et non confúndas me ab expectatióne mea.

Circumstantibus, vel Monachis, si sit in suo monasterio, respondentibus :

SUSCEPIMUS, Deus, misericórdiam tuam, in médio templi tui.

V. Glória Patri, et Filio, et Spíritui sancto.

R. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Et hoc ter, tam per Electum quam per circumstantes, repetitur. Deinde Electus ante altare et Pontificem se prosternit in terram, et dicuntur sequentes Psalmi per Pontificem sedentem cum mitra, circumstantibus respondentibus.

PSALMUS 47.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis : * in civitáte Dei nostri; in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion : * látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur : * cum suscipiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, comóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu veheménti cón-
teres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum,
in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscévimus, Deus, misericórdiam tuam : * in médio
templi tui.

Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines
terræ : * justítia plena est dextera tua.

Lætétur mons Sion, et exúltent filiæ Judæ : * propter
judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímmini eam : * narráte in
túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, * et distribuíte domos
ejus : ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in
sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

Psalmus 50. Miserére mei Deus : * secúndum magnam
misericórdiam tuam, etc. Et totus dicitur cum Glória
Patri, ut infra habetur. 149.

PSALMUS 132.

ECCÉ quam bonum, et quam jucúndum : * habitáre
fratres in unum.

Sicut unguéntum in cápite : * quod descéndit in barbam,
barbam Aaron.

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros
Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem : * et
vitam usque in sæculum.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

Quibus finitis, Pontifex, deposita mitra, surgit et
dicit : Pater noster.

Ÿ. Et ne nos indúcas in tentatióem.

Ŕ. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Salvum fac servum tuum, Dómine.

Ŕ. Deus meus sperántem in te.

Ÿ. Mitte ei, Dómine, auxiliúm de sancto.

Ŕ. Et de Sion tuére eum.

Ÿ. Nihil proficiat inimicus in eo.

Ŕ. Et filius iniquitátis non appónat nocére ei.

Ÿ. Dómine, exáudi oratióem meam.

Ŕ. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobiscum.

Ŕ. Et cum spíritu tuo.


OREMUS.

DEUS, qui non vis mortem peccatóris, sed per pœni-
téntiam, et emendatióem, vitam semper inquiris ;
te suppliciter deprecámur, ut huic fámulo tuo sæculá-
ribus áctibus renuntiánti, large tuæ pietátis grátiam
infúndere dignéris : quátenus castris tuis insértus, ita
tibi militándo, statum vitæ præsentis percúrrere váleat,
ut bravíum ætérnæ remuneratióis, te donánte, perci-
piat. Per Christum Dóminum nostrum. Ŕ. Amen.

His dictis, sedet Pontifex, et mitram accipit ; ac
coram eo genuflexus Electus emittens professionem, ex
præscripto ejusque congregationis, in charta scriptam,
quam in manibus tenet, et legit.

Qua lecta, ponit chartam ipsam super altare ; et
iterum, ut prius, genuflectit coram Pontifice incipiente,
et schola prosequente, Antiphonam :

8. Toni.



Con-fir-ma hoc De-us, quod o-pe-ra-tus es in



Qua dicta, Pontifex adhuc cum mitra sedens, accipit eum in congregationem, et societatem aliorum Monachorum sui ordinis, dicens :

OMNES, quamvis per grátiam Baptismi fratres simus in Christo, et unum Patrem habeamus in caelo, si ejus praecipis, prout possumus, obsequimur, procul dubio tunc máxime unimur, quando orationibus, et beneficiis invicem nos copulamur; quemadmodum in primitiva Ecclesia sancti Patres, quibus cor unum, et ánima una erat, fecisse leguntur, quorum plures Christi amore mente accensi, possessiones, et facultates rerum vendentes, congregatis in unum praetibus, ad Apostolos ferabant gaudentes. Quae Apostoli accipientes, tribuebant omnibus, prout opus erat. Sicque iste nihilominus, Deo inspirante, eorum exemplo communitus, Religiosorum ordinis sancti N. optat conjungi consortiis. Ideo damus ei communem societatem vivendi cum illis, quantum a Domino possumus promereri, et nostrum est largiri: quatenus cum electis a remuneratore omnium bonorum valeat praemia repromissa percipere, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

Quo dicto, Pontifex, et omnes Monachi praesentes, recipiunt eum ad osculum pacis.

Deinde Electus vadit ad capellam suam, in qua paratur amictu, alba, cingulo, et stola in modum Presbyteri,

ac pluviali; et associatus medius inter duos Abbates indutos superpelliceo, stola, pluviali, et mitra simplici, si Benedicendus sit de mitra, alias, inter Priorem, et seniore, aut duos seniores Religiosos sui, si adsunt, aut alterius monasterii, indutos superpelliceo, et pluviali, ducitur ad Pontificem in faldistorio ante altare sedentem, cui, deposito bireto, se humiliter inclinans facit reverentiam: Assistentes etiam, detectis capitibus, illa inclinantes, Pontificem venerantur. Tum sedent omnes eo ordine, prout in consecratione Episcopi supra dictum est. Et, postquam parum quieverint, surgunt omnes, capitibus detectis, et senior Assistentium, stans detecto capite versus ad Pontificem dicit: etc. ut infra.

DE BENEDICTIONE ABBATIS

Auctoritate Apostolica.

ADEST, reverendissime Pater, Electus monasterii N. ordinis sancti N. diocesis N. quem ad vestram reverendissimam Paternitatem, ex parte conventus ejusdem monasterii, duximus praesentandum, humiliter postulantes a vobis, ut ipsum in Abbatem dicti monasterii, Auctoritate Apostolica vobis commissa, dignemini ordinare.

Pontifex interrogat eos, dicens: Habetis mandatum Apostolicum? Respondet ille: Habemus. Pontifex dicit: Legatur.

Tunc notarius Pontificis accipiens mandatum a praesentante, illud legit a principio usque ad finem. Interim omnes sedent, tectis capitibus. Quo totaliter perlecto, Pontifex dicit: Deo gratias.